

IOANNIS FABRICII MONTA- NI POEMATA.

Sylvarum liber vnus.

De consulibus Tigurinis lib. primus.

De Vvilhelmo Thellio Elegia.

CVM EPITHALAMIO IO-
annis Alti Francobergensis.



TIGVRI APVD GESNEROS
fratres.

Præfens quod ratio potest.

Sic vult atq; iubet quando necessitas,
Et magnus superum pater.

Te parere Deo postulat æquitas
Happeli, & pietas iubet.

Quare siste tuas iam querimonias:
Quod mors abstulit, amplius
Haud ullis lachrimis est reuocabile.

ORION.

Ereptam terris Threnen lugebat Orion,

Asiduo gemitu sylvas montesq; fatigans:
Nec miser inuenit tanti solatia luctus.

Tandem se raucas Sylæ conuertit ad undas,

Atq; ita, vos Lymphæ gelidis in montibus ortæ,
Vos ego (nequicquam surdis queror omnia syluis
Hactenus) extrema moriens (ait) alloquar hora.
Forfitan hæc alias etiam manabit in oras

Fama, nec vlla mei tellus erit inscia luctus:

Et pater Oceanus, nam vos narrabitis illi.

Atq; aliæ quæcumq; dea maris æquora seruant,

Hæc simul audierint sument velamina pulla,

Inq; piæ lachrimas rorantia lumina soluent.

Illas nam fama est medys ardere sub undis,

Atq; etiam immites sub pectore pascere flammæ.

Omnis gramineo pubescit cespite campus:

Floribus exaturata nitent gemmania prata,

Luxuriantq; nouæ segetes lactentibus herbis.

Omnia nunc crescunt: fletu tabescit Orion.
 Nunc etiam letis se frondibus induit arbos,
 Et passim virides texunt umbracula sylua:
 Me tamen vrit amor, gelidæ nec montibus umbra,
 Nec profunt imis labentes vallibus vnda.

O aliquis mihi quas pulchrum ver educat herbas
 Misceat, & nostros medicando temperet ignes.
 Aut si qui faciunt animis obliuia succos
 Præbeat: ipse metam magnum quacungq; per orbem
 Gramina, sol pulchras effert in luminis oras.
 Ipse bibam quicquid meditatursaga veneni,
 Quicquid & irarum Circeia nenia nectit:
 Omnia perpetiar, letum quoq; dum semel omnis
 Noster in extincto moriatur pectore sensus.

Me miserum quod amor non est medicabilis herbis:
 Seuior hybernis Aquilo quas asperat undis,
 Durior & saxis, saxisque hærentibus ornis.
 Ergo tuos oculos nunquam mea vita videbo
 Posthac? non notis saturabo pectora dictis?
 Et tua perpetuus sepeliuit lumina somnus?
 Non igitur longos æstiuo tempore soles
 Amplius in syluis pariter condemus opacis?
 Carmina nulla canes? non me pascente capellas?
 Mollia tu plenis deuolues stamina pensis?
 Vidi te rigidis secernere vellera setis,
 Et niuei torquere colo glomeramina fili,
 Tortaque mox roseis admorsa putare labellis:
 Vidi te virides imitari stamine syluas,

Lanigerumq;

Lanigerumq; pecus nitidis intexere villis,
 Desuper & textum ferro solidare tenaci.
 Et vidi, & subito concepi pectore flammam:
 Nec minus infelix arsi, quam pinea tæda
 Vsta foco, sicutisq; ardet fornacibus Aethna:
 Tunc verò tenerum submisi pectus amori,
 Et noua connubij coniunx in fœdera veni.
 Nec te pœnituit nigro tecta obsita fumo,
 Non humiles habitare casas, squalentibus aruis:
 Mollia non duro substernere brachia collo,
 Quamuis pauper eram, quamuis sine nomine pastor,
 Et tu magnorum texebas munera regum.
 Tunc mihi purpureo fulgebant lumine soles:
 Aurea tunc lato surgebant sidera cælo,
 Et mihi mille sinu portabat gaudia vesper.
 Nunc seu noctis eunt, seu contrâ tempora lucis,
 Idem perpetuo lachrimarum flumine mersor.
 Qualis ubi species patefacta est verna diei,
 Auricomus Phœbi roseo nitor emicat axe:
 Ridet ager passim, gaudent mortalia corda.
 Tristia sed postquam subducunt nubila cœlum,
 Absconditq; diem tempestas imbribus atris:
 Squalet ager passim, languent mortalia corda.
 Talis ubi nostros presenti lumine vultus
 Aspexit Threne, terris illuxit imago.
 Illius at postquam tenebris lux occidit atris,
 Dulcia amara mihi sunt, & sunt candida nigra.
 Ipsi etiam fontes lachrimis & flumina crescent,

Duraq̄ saxa madent, stillantibus humida guttis,
 Maioresq̄ cadunt densis ex nubibus imbres:
 Omnibus vnus amor Threnæ, dolor omnibus vnus.

It miserum pecus, & nuper mea cura capellæ
 Incustoditæ solis nunc montibus errant.
 Nec qui sufficiat vescas in pabula frondes,
 Nec qui desertos oblitis matribus hædos
 Sub tectum referat miserans, stabulisq̄ reponat.
 Quos nunc heu pernox gelidis aquilonibus imber
 Pulsat, & immiti consumunt frigore venti.

Sed vos quas annis seruat melioribus ætas,
 Si quando posthac dabitur sub collibus istis
 Carpere gramen oues, tumulo crescentibus herbis
 Parcite: quæ toties monstrauit pascua vobis
 Threne, quæ potum toties ad flumina duxit,
 Plenaq̄ pressauit felicibus vbera palmis,
 Conditur hoc tumulo: sunt hæ sunt funeris herbae,
 Illas carpetis, dominam carpetis in illis,
 Carpetis nostras quas abstulit illa medullas,
 Me quoq̄, nam dudum ceperunt tædia vitæ,
 Prima dies tristi defunctum morte videbit.

Atq̄ aliquis pastor nostros miseratus amores,
 Corpus humo teget, & tumulo componet eodem,
 Taleq̄ vicina describet in arbore carmen.
 Quam thalamo tenuit, tumulo quoque seruat Orion.

Cætera Syleades fluuialia numina nimphæ,
 Sylas & ipse pater, seri sub vesperis umbram
 Audiuere, citoq̄ gradum pede præcipitantes,

Omnia

*Omnia narrarunt Limago, qui dicta probavit,
Misit & Oceano per conscia flumina Rheni.*

IN FVNERE IACOBI FABRICII
parentis.

*Has lachrimas tibi chare parens, hæc ultima solui
Munera: funesto postquam tua membra pheretro
Composui, terræq; miser mandanda reliqui.*

*Vt te chare parens nostri pia cura subegit,
Longinquas tentare vias, natalia quando
Mœnia liquisti nuper, centesima quamuis
Longæuo tibi iam vitæ procederet æstas.
Non tibi iurasti contra surgentia saxa,
Non valles fecere moram, non æquora campi,
Non operum impatiens, vitæq; effæta senectus:
Ire viam prompto, seu te committere curru
Seu baculo malle, nostræ seu credere dextræ,
Fidaq; pone sequi tremulis vestigia plantis.
Tantus amor nati tibi, tanta cupido nepotum.*

*Ergo mihi dum chare pater post omnia ponis,
His quoque ut occideres terris via longa reperta est?
Sed quæcunque tamen regio, quæcunque morentur
Nos loca: certa dies, & ineluctabilis hora,
Omnibus est leti: venit tibi terminus æui:
Venit meta tibi genitor suprema laborum.
Vixisti satis: id quod spe votisq; petisti,
Ante tuos obitus, dulces mea pignora natos,*